

*exarsisset adversus eum*⁴⁷¹. Hec ille. Sic et iste in suis scriptis sive dictis, si integram scripturam posuisset et populo dixisset, non tantam audaciam et excusacionis colorem ad huiusmodi venenosos contractus sub nomine reempcionis haberent, sive sumpsissent. Debet enim scire predictus scribens, quicumque sit, quod statim post verba ex lege veteri per ipsum allegata, *Levitici, XXV*, subiungitur sic: *Si attenuatus frater tuus vendiderit possessiunculam suam et voluerit propinquus eius, potest redimere quod ille vendiderat. Sin autem non habuerit proximum et ipse precium ad redimendum potuerit invenire, computa-[G, 137^r]buntur fructus ex eo tempore quo vendidit et quod reliquum est reddat emptori, sicque recipiat possessionem suam*⁴⁷². Hec sunt verba legis *Levitici*, ubi supra. Ecce quomodo iste partem scripture que loquitur de reempcione allegat, aliam autem partem que dicit quod fructus percepti debent computari in sortem, non ponit^h, sicut dyabolus dixit, *Matth.*, 4^o: *Scriptum est: angelis suis deus mandavit de te*, etc.⁴⁷³, tacito isto quod sequitur: *super aspidem et basiliscum ambulabis*⁴⁷⁴, ubi dicit CRISOSTOMUS: *O dyabole, quomodoⁱ filius dei angelorum manibus portatur legisti, sed quod super aspidem et basiliscum calcas non legisti, sed illud profert quasi superbus, hoc autem tacet quasi astutus*. Hec ille⁴⁷⁵. Sic et hic non ponit^j quod percepta essent computanda in sortem, quia non videbatur pro replecione burse, cum aliquando eciam percepta extenuarent totam sortem et ultra. Et sequitur in dicto c. *Levitici, XXV [F, 152]: Quod si non invenerit manus eius ut reddat precium, habebit emptor quod emerat usque ad annum iubileum. In ipso enim omnis vendicio redibit ad dominum et ad possessorem pristinum*. Hec ibi⁴⁷⁶. Quando sic faciunt isti moderni ypocrite emptores, ipsi enim primo integram pecuniam capitalem habere volunt et capiunt, nulla percepcione deducta sive diffalcata. Secundo, postquam sic extenuaverint debitorem et depauperaverint, nullum habent iubileum in quo ipsum liberarent possessione ipsius ad ipsum reversa, sed ipsum exterminatum, tam in bonis mobilibus quam in immobilibus, nichilominus de ea expellunt et exulare et egere et, proh dolor, aliquando fame cruciari cum prole sua et herede compellunt. O iniquitas omnium ini-[D, 229^v]quitatum! quis audivit unquam in aliqua gente talia, dic, rogo, facta?

110. Consequenter dicit idem sic: Item, racione sic probatur: empcio cuiuslibet rei, que fieri potest in ipsa re simpliciter et ad perpetuum, fieri potest eciam sub condicione et modo et tempore. Patet. Aliquis potest

^h ponit] posuit G

ⁱ quomodo corr. quam

^j ponit] posuit G

471. Ps.-CHRYSOSTOMI *Opus imp. in Matth.*, hom. II ex cap. 2, n^o 5 (PG 56, 640).

472. *Levit.* 25, 25-27.

473. *Matth.* 4, 6.

474. *Ps.* 90, 13.

475. Ps.-CHRYSOSTOMI *Opus imp. in Matth.*, hom. V ex cap. 4 (PG 56, 666).

476. *Levit.* 25, 28.

[G, 137^v] vendere domum sub condicione, quia si non liberavit eam infra annum, tunc domus erit emptoris in perpetuum. Probat *Levitici*, XXV. Ibi dominus iterum precepit, sic inquiring: *qui vendiderit domum suam intra^k muros urbis, habebit licenciam reemendi^l, donec annus unus impleatur. Si non redimeret et anni circulus fuerit evolutus, emptor possidebit eam et posterius eius in perpetuum⁴⁷⁷.*

111. Responsio. Dicit LYRA, *ibidem*, quod domus que erant intra civitates vel villas munitas, si venderentur, poterant redimi infra annum vendicionis. Vendiciones^m aliter non poterant redimi de cetero, eciam in anno iubileo. Domus autem que erant in villis non muratis semper poterant redimi usque ad iubileum, defalcacione tamen facta de precio quantum valuerant emptori. Racio autem huius diversitatis erat ut civitates et ville murate remanerent magis populate. Et ideo statutum fuit ut domus illarum vendite non possent redimi, nisi primo anno, ut per hoc homines essent minus prompti ad vendendum⁴⁷⁸. Et sic hodie statutum est ut lex commissoria in vendicionibus non reprobatur, quia si emptori stat condicio, non fraudatur venditor ex eo quod res quantum valet tantum emi debet. Secus in pignoribus, ex eo quod communiter plus valet pignus quam pecunia credita. De quo satis dictum est supra⁴⁷⁹, et ibi vide. Sed quod sic non sit hic in isto contractu, quem dicunt reempcionis, notum est, cum nullum sit tempus determinatum, scilicet annus, vel dies, vel plures, cum est in posse recipientis pecuniam, constitutum illud tempus. Posse autem ampliat ultra omne tempus. Et sic nichil concludit per istum textum quem hic inducit, cum eciam in huiusmodi contractu iustum precium rei non minuatur. Quod tamen vult eciam contractus emptoris sub condicione, de quo loquitur textus hic, per opponentem allegatus. Quare non potest dici empicio, dicit opponens consequenter. Et probatur illud *ibidem*ⁿ per legem *Instituta*, [G, 138^r] *De empicione et vendicione, Quod si⁴⁸⁰* et *Digesta*, eodem titulo, lege *Quod si fundum* [F, 152^v] et lege *Estimo*⁴⁸¹.

^k intra] ultra G

^l reemendi] redimendi G

^m Vendiciones om. G

ⁿ ibidem] idem G

477. *Ibid.* 29-30.

478. *BS*, t. I, col. 1133-1134.

479. Cf. *supra*, I, pp. 184-185.

480. *Institutionum* l. III, tit. XXIII, § 3a (*CJCI*, I, 39-40): «Quod si fugerit homo qui venit aut subreptus fuerit, ita ut neque dolus neque culpa venditoris interveniat, animadvertendum erit, an custodiam eius usque ad traditionem venditor susceperit. Sane enim, si susceperint, ad ipsius periculum is casus pertinet; si non susceperit, securus erit, idem et in ceteris animalibus ceterisque rebus intelligimus. Utique tamen vindicationem rei et conditionem exhibere debet emptori, quia sane, qui rem nondum emptori tradidit, adhuc ipse dominus est. Idem est etiam de furti et de damni iniuriæ actione».

481. *Lex Estimo: Digestorum*, l. XVIII, tit. I, lex 61 (*CJCI*, I, 267): «Existimo

112. Sed empicio potest fieri simpliciter, ut notum est secundum omnes. Ergo eciam sub modo, condicione et ad tempus. Notatur hoc *De pignoribus, Significante*⁴⁸², ubi dicitur quod talis condicionalis vendicio valeat, ut ibi notatur in glosa super verbo *comissorie*⁴⁸³. Item potest vendi fundus pro certa pecunia ad tempus, scilicet quod usque ad XX annos recuperare potest, ut notat IOHANNES ANDREE in predicto c. *Significante*, glosa II^a⁴⁸⁴ et per legem *Digesta, De prescriptis verbis*⁴⁸⁵. Hec sunt verba ipsius in quibus innuit quod empicio census potest fieri simpliciter secundum omnes, salva honestate.

113. Non est hoc sic, cum, secundum GOFF et EGIDIUM, non, nec INNOCENCIUS simpliciter concedit, ut dictum est supra⁴⁸⁶. Ymmo non videtur esse secundum Cristum qui super omnes est, qui dicit, *Matth.*, VI^o: *Ideo dico vobis, ne solliciti sitis anime vestre quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini*, ubi dicit CRISOSTOMUS: *Nam sollicitudo est desperacionis filia, quia desperacio sollicitudinem generat... Qui autem sperat in deum, ille non est sollicitus quid manducet aut quo vestiatur, quia nulla res est que facit homines desperare in aliqua necessitate, nisi ista res quia non habet spem in deum... Et qui dixit: ne solliciti sitis quid manducetis, non dixit: nolite laborare. Ergo solliciti esse vetamur, laborare autem iubemur. Sic enim et dominus, loquens ad Adam, non dixit: cum sollicitudine facias tibi panem, sed cum labore et sudore faciei tue... Sicut enim laborantibus pro premiis diligencie deo prestante panis habundat, sic dormientibus et negligentibus pro pena negligencie, deo faciente, subducitur. Hec ille*⁴⁸⁷. Si ergo habes aliquid de iusto labore tuo, de isto vive et, si temptaberis quod non sufficiat tibi, dic michi quis te certificabit quod vi-[G, 138^v]vas et illa que habes consumas. Ideo dicit *Ecclesiastes*, V: *Hoc utique michi visum est bonum ut comedat quis et bibat et fruatur letitia ex labore suo... numero dierum vite sue, quos dedit ei deus*⁴⁸⁸. Hoc est donum dei et APOSTOLUS, II^a *Tessalonicensis*, ultimo, dicit: *Hec denuncio vobis, quam si quis non vult operari non*

posse me id quod meum est sub condicione emere, quia forte speratur meum esse desinere»; la *Lex Quod si fundam* n'y figure pas.

482. *Decret. Greg. IX*, l. III, tit. XXI, c. 7 (FRIEDBERG, II, 529): «INNOCENTIUS III». Résumé de GRATIEN: «Si is qui sub pacto legis commissoriae pignoravit rem suam, et iuraverit non contravenire, iuste impeditur infra diem statutum non redemit, post diem redimere potest».

483. *Decret. Greg. IX cum glosis*, l. III, tit. XXI, c. 7 (*CJCa*, II, 1146).

484. IOHANNIS ANDREE *In tertium Decretalium librum Novella Commentaria*, Venise 1581, f^o 91^{va}.

485. Cf. *Digestorum* l. XIX, tit. V, *De praescriptis verbis et in factum actionibus* (*CJCI*, I, 257-259).

486. Cf. *supra*, II, pp. 181-185.

487. *Matth.* 6, 25; Ps.-CHRYSOSTOMI *Opus imp. in Matth.*, hom. XVI ex cap. 6, n^o 24 (*PG* 56, 722-723).

488. *Eccl.* 5, 17.

7
p. 138^v
Dance

*manducet. Audivimus enim inter vos quosdam ambulare inquiete, nichil operantes, sed curiose agentes. Hiis autem qui huiusmodi sunt denunciamus et obsecramus in domino Ihesu Cristo ut cum silencio operantes, panem suum manducet. Vos autem, fratres, nolite deficere bene facientes*⁴⁸⁹. Et idem : *Qui autem infirmus est, olus manducet*⁴⁹⁰, etc.

114. Allegat postea glosam c. *Significante*⁴⁹¹. Dicendum quod cum illa glosa capiat glosam c. *Conquestus, De usuris*, ubi dicitur quod est intelligendum de precio iusto, de quo vide quod dictum est supra de empzione sub condicione⁴⁹². Similiter quod dicit de termino XX annorum, eciam expeditum est supra, ubi dictum est de pacto legis commissorie⁴⁹³.

115. Dicit consequenter : Item probatur illud idem manifeste per *Clementinam, De rebus ecclesie non alienandis*, c. *Monasteriorum*⁴⁹⁴ et per *Clementinam, De excessibus prelatorum*, c. *Frequens*, § *Preterea*⁴⁹⁵ et in glosa super verbo *quidam*⁴⁹⁶, ubi dicitur de illa vendicione ad tempus.

116. Per capitulum *Monasteriorum* nichil ad propositum probat, [D, 230^{ra}] quia ibi loquitur de locacione ad mo-[F, 153rd]dicum tempus, sive de vendi-

489. *II Thess.* 3, 10-13.

490. *Rom.* 14, 2.

491. *Decret. Greg. IX cum glosis*, l. III, tit. XXI, c. 7 (*CJCa*, II, 1146).

492. Cf. *supra*, I, pp. 206-208.

493. Cf. *supra*, p. 192.

494. *Clementinarum* l. III, tit. IV, c. 1 (FRIEDBERG, II, 1160) : « CLEMENS V, in concilio Viennensi : Monasteriorum et aliarum administrationum regularium dispendiis occurrere cupientes, perpetuo prohibemus edicto, ne quis religiosus, monasterio, prioratui, ecclesie seu administrationi cuius praesidens, iura reditus aut possessiones eiusdem, alicui ad vitam eius seu aliud certum tempus, pecunia etiam inde recepta, quovis modo concedat, nisi necessitas aut utilitas monasterii, prioratus, ecclesie aut administrationis huiusmodi hoc exposcat, conventus sui, aut, si conventum non habeat, praelati, proprii assensu ad hoc nihilominus accedente. Si quis autem contra hoc fecerit : poenam suspensionis ab officio eo ipso incurrat, nec ex concessione ipsius recipienti ius aliquod acquiratur. Verum praemissa ad locationes vel etiam redituum aut fructuum venditiones, ad tempus modicum faciendas, declaramus ullatenus non extendi ».

495. *Ibid.*, l. V, tit. VI, c. un. (FRIEDBERG, II, 1186) : « CLEMENS V, in concilio Viennensi : Praeterea interdum iniuste abbates, priores ac alios benedictos beneficiis suis privant, ut sic fructus beneficiorum illorum percipere valeant primo anno praetextu privilegii, quod asserunt se habere, quod usque ad certum tempus fructus beneficiorum vacantium possint percipere primi anni... Universis itaque praelatis ecclesiarum praesentis sanctionis edicto districte praecipiendo mandamus, quatenus ipsi, a praedictis gravaminibus omnino cessantes et cessare suos subditos facientes, viros religiosos exemptos, privilegiatos et non exemptos, mendicantes et non mendicantes, caritative tractent et foveant, et sua iura et privilegia inviolabiliter eis servent... ».

496. *Clementinae* ..., f^o LXIII^{ra}.

Yves
in F. 10
216]

Yves
in F. 10
216]

cione fructuum, ut patet ex sequenti c. et in glosa super verbum *modicum*, ibidem in c. *Frequens*, in § *Quidam*⁴⁹⁷. Ymmo reprobatur quod fructus ecclesiarum a quibusdam^o fuerunt traditi ad firmam, ut patet ibidem. Ergo nichil ad propositum pro probacione illius contractus quem dicunt reempcionis.

117. Dicit idem consequenter: Quod autem pro minori precio fieri potest, quod alias simpliciter emeretur, patet rationibus naturalibus prius inductis.

118. Dicendum quod si capit naturale pro iure naturali quod consistit in lege et ewangelio, ut VIII di. per totum⁴⁹⁸, tunc manifestum est quod nullam sic rationem naturalem induxit, scilicet ewangelicam sive legis [G, 139], excepto *Levitici*, XXV^o, quam tamen sincopando posuit, ut supra patuit⁴⁹⁹. Si autem vult vocare naturalem rationem, inhumanam invencionem, de qua XI^a, q. I^a, dicitur: *Omnis etas ab adolescencia prona est ad malum*⁵⁰⁰ et *humana natura quodammodo labitur ad delicta*, in *Authenticis*, *De monachis*, § *Si quis ergo*, coll. I^a⁵⁰¹, et *proclivis est cursus nature ad voluptatem et natura est imitatrix viciorum*, XX, q. III, *Proclivis*⁵⁰² et ipsa prona est ad dissenciendum. *De con.*, di. III, *Sicut in sacramentis*⁵⁰³ et semper novas

^o quibusdam] quibus G

497. *Clementinarum* l. III, tit. IV, c. 2 (FRIEDBERG, II, 1160): «CLEMENS V, in concilio Viennensi: Si una ecclesia alteri ecclesiae seu dignitati alicui vel prebendae per episcopum, suo consentiente capitulo, uniatur, aut religioso foro donetur; ex eo quod rector ad hoc vocatus, vel si vacabat, defensor ei super hoc datus non existit, nequaquam id poterit impugnari. Quodsi episcopus, sui etiam capituli accedente consensu, mensae suae vel ipsi capitulo aliquam duxerit ecclesiam uniendam, hoc irritum esse decernimus et inane, contraria quavis consuetudine non obstante»: *Clementinae*, l. III, tit. IV, c. 1, glosa, f^o XXXIX; *Clementinarum* l. V, tit. VI, c. 1 (FRIEDBERG, II, 1186): «CLEMENS V, in concilio Viennensi: Quidam etiam ecclesias curam animarum habentes, ad mensam abbatum spectantes, quarum fructus quandoque clericis saecularibus tradunt seu concedunt ad firmam ... Universis itaque praelatis ecclesiarum praesentis sanctionis edicto districte praeciipiendum mandamus, quatenus ipsi, a praedictis gravaminibus omnino cessantes et cessare suos subditos facientes, viros religiosos exemptos, privilegiatos et non exemptos, mendicantes et non mendicantes, caritative tractent et foveant, et sua iura et privilegia inviolabiliter eis servent ...».

498. *DG*, pars 1a, dist. VIII (FRIEDBERG, I, 12-16).

499. Cf. *supra*, II, p. 222.

500. *DG*, pars 2a, causa XII, q. I, c. 1 (FRIEDBERG, I, 676).

501. *Authenticae*, collatio I, tit. V, novella V, col. 16.

502. *DG*, pars 2a, causa XX, q. III, c. 2 (FRIEDBERG, I, 849).

503. *DG*, pars 3a, *De consecr.*, dist. IV, c. 151 (FRIEDBERG, I, 1411). Emprunté à AUGUSTINI *De baptismo contra Donatistas*, l. I, c. XV, n^o 24 (PL 43, 122-123): «Sicut in sacramentis veteris testamenti vivebant quidam spirituales, ad novum

deproperat edere formas, ut § De veteri iure, In omni^p, lege 1^a 504. Unde dicit imperator quod natura cottidie novitates nititur invenire, in *Authenticis* quibus modis natura^q § *Si quis vero*, coll. VI^a 505. Et sic planum est quia in omnibus suis dictis per huiusmodi conficciones et novitates ad excusandum istum viciosum et venenosum contractum processit.

119. Dicit consequenter sic : et patet hoc, quia valor rei ad pondus estimari non valet.

120. THOMAS, q. LXXVI, articulo CCCCXV, illud melius deducit sic : *Ad defectum rei pertinet si ei conveniens equalitas deest, sed ad equalitatem rei cognoscendam requiritur magna sciencia que pluribus venditoribus deest. Ergo non redditur vendicio illicita propter rei defectum*⁵⁰⁶. Solvit quod non oportet quod venditor et emptor occultas rei qualitates cognoscant, sed solum illas per quas redditur humanis usibus apta, etc.⁵⁰⁷, ut eciam dictum est supra⁵⁰⁸.

121. Dicit consequenter : Unde statuerunt iura ut valeret empcio, dummodo quis (non) deciperetur ultra dimidiam iusti precii⁵⁰⁹, ut habetur *Extra, De testibus et attestacionibus^r, Cum causam*⁵¹⁰ et *De empcione et vendicione, Cum dilecti*⁵¹¹, et c. *Cum causa*⁵¹², et ibi vide glosam : quid

^p dans la marge de G : de veteri iure enucleando

^q dans la marge de G : naturales efficiuntur

^r et attestacionibus om. G

scilicet testamentum, quod tunc occultum erat, occulte pertinentes, sic et nunc in sacramento novi testamenti, quod iam revelatum est, quidam vivunt animales, qui proficere scilicet nolunt ad percipienda que sunt Spiritus Dei, quod hortatur sermo apostolicus, ad vetus testamentum pertinebunt... ».

504. *Codex Iustinianus*, l. I, tit. XVII (CJCI, II, 73^a) : « multas etenim formas edere natura novas deproperat ».

505. A la référence : *Si quis vero* (*Authenticae*, collatio VI, tit. XV, novella LXXXVI, c. III, col. 207-208), il n'y aucune trace de la citation, mais l'idée en est exprimée, *ibid.*, tit. III, novella LXXIV, col. 184, où il est dit que la législation : *multa indigere correctione ut ad naturae varietatem et ejus machinationes sufficiat*.

506. THOMAE AQ. S. th., IIa Iae, q. LXXVII, art. 2, obj. 3.

507. *Ibid.*, resp. ad 3.

508. Cf. *supra*, I, p. 192.

509. Cf. THOMAE AQ. S. th., IIa Iae, q. LXXVII, art. 1, ad 1.

510. Le texte signalé par la référence de Nicolas de Dresde (*Decret. Greg. IX*, l. II, tit. XX, c. 37 : FRIEDBERG, II, 330-331) n'a rien à voir avec la question traitée.

511. *Decret. Greg. IX*, l. III, tit. XVII, c. 3 (FRIEDBERG, II, 518-519) : « ALEXANDER III : Nunciis igitur utriusque partis in nostra propter hoc praesentia constitutis, dum ex parte canonicorum instanter et sollicite sententia peteretur auctoritate apostolica confirmari, habita deliberatione cum fratribus nostris et aliis sapientibus, qui legibus iurati iudicant, eamdem sententiam iuri contrariam intel-

supra h. 100
Sole;
cum causam

F. Ates. P. 100
De defectu
Cum causam

Co de m...
non...
p

noir F. 100
cum m...
quid

est t. h. m.

de testamen...
cum cause (Yn. 111)

→ fore...
cum cause = defectus